

cre Scripturæ locis, tum in sacris canonibus: Lucæ enim 10. num. 7. expresse dicitur: *Dignus est enim Operarius mercede sua.* Matthæi 10. num. 10. *Dignus enim est Operarius cibo suo.* Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. num. 7. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducare?* Et infra n. 11. *Si nos carnalia vestra metamus? Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, que de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, de altari participant? Ita & Dominus ordinavit istis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere; & cap. Ex. his 22. caus. 12. quest. 1. expresse dicitur: *Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserviunt, participant de ipso.* & cap. Cum secundum 16. de præbend. præcisè habetur: *Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nobis ratio persuadet.**

27 Clerici ecclesiæ Ministri habentes ad sui honestatam, & congruam sustentationem, sufficientes ecclesiasticos redditus ipsis pro suis ministeriis assignatos, simoniam committunt, si pro functionibus ecclesiasticis, ad quas ex officio tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigant, quando illa exigere, nec Jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo permittit; in tali enim casu deest omnis justus titulus exigendi illa temporalia, adeoque si nihilominus exigantur pro dictis functionibus ecclesiasticis, seu spiritualibus, Simonia committitur. Ita S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 196. & ipso teste alii communiter.

28 Pro actu, vel exercitio Jurisdictionis ecclesiasticæ, seu spiritualis, temporale per modum pretii accipere, est simonia. *Communis*, textu expresse in cap. Non satis 8. cap. Cum in Ecclesiæ 9. cap. Cum sit Romana 10. cap. Nemo 14. cap. An nostrum 21. de simonia, cum similibus: Et ratio est clara, quia Jurisdictio, & potestas ecclesiasticæ est quid spirituale, adeoque vera simonia est pro ejus exercitio, & administratione exigere temporale.

29 Hinc simoniam committunt, qui pretium temporale exigunt pro dispensationibus super votis, Juramentis, Impedimentis Matrimonii, etate canonica, Interstitiis, Irregularitatibus. Item pro dispensationibus laborandi diebus festis, nuptias celebrandi diebus vetitis, non jejunandi, & non abstinendi à carnibus diebus præceptis, & hujusmodi. Item pretium temporale exigentes pro absolutiōibus à censuris ecclesiasticis, sive pro foro interno, sive pro externo. Item pro pretio temporale aliis concedentes etiam pro unica vice Jus eligendi, præsentandi, confirmandi, aut instituendi à Beneficia ecclesiastica. Item pro pretio temporali conferentes officium, aut potestatem, seu Jurisdictionem spiritualem, & g. constituendo pro dicto pretio Vicarios Generales, aut Officiales similes, quod simoniacum specialiter etiam declaratur cap. Ad nostram 21. & cap. Consulere 38. de simonia. (Iterum ad præcedentia confer leg. 1. a. 3. 8. q. 10. 15. & 16. ejusd. tit. 17. p. 1.)

30 Nec valet obijcere, quod in Curia Pontificia, approbante Pontifice, passim in dies pro dispensationibus exigantur, & recipiantur taxæ temporales, adeoque quod id non sit simonia: Non valet, inquam, quia præfatæ Taxæ non exiguntur tamquam pretium dispensationum, sed vel dantur ut stipendia ad sustentationem Summi Pontificis, & suorum Officialium, & ad onera Pontificii status sustinenda, quod est conforme Juri divino, & naturali, per textus allegatos supra num. 26. Vel taxæ illæ pecuniariæ exiguntur per modum multa; ut per ejusmodi multa aliquoties compensetur recessus à Jure communi, cum æquum, & rationale sit, quod petentibus exemptionem à lege communi imponatur in compensationem aliud onus particulare, præsertim multa pecuniaria in pias causas applicanda; & eo major pecuniæ multa, quod difficilius petitur dis-

pensatio, ut sic tales dispensationes, utpote odiosæ, & derogantes juri communi, magis onerosæ reddantur petentibus, ne si facile, & cum paucis, seu non multis sumptibus obtineri possint, nimia licentia præbeat eas importune petendi. Sic Suarez lib. 4. de simonia cap. 20. num. 11. Lessius lib. 2. cap. 35. n. 58. Piching lib. 5. Decr. tit. 3. num. 49. Reiffenstuel ibid. num. 216. Zoësius ibid. num. 24. & alii passim.

31 Nec valet instare, quod hoc admissio respectu Summi Pontificis, possessione etiam Episcopi ex prædictis titulis, vel causis temporale exigere. Non valet, inquam, quia hoc est specialiter Episcopi prohibitum à sacris canonibus citatis supra num. 28. & à Concilio Tridentino sess. 22. de refor. cap. 5. sess. 24. de refor. cap. 5. sess. 25. de refor. cap. 18. In quibus Episcopi, & Prælati Papa inferiores dispensare nequeunt, arg. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de majori. & obediens. & Clem. Ne Romani, de elect. Bene autem potest in ipsis dispensare Summus Pontifex, cum ipse sit supra omne Jus canonicum, textu expresse in cap. Proposuit 4. de consecratione Præbendi ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare.* (Vide verb. Consuetudo, & Lex, in add. etiam ibi.)

Unde Garcias de beneficiis part. 8. cap. 1. à num. 102. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel loc. cit. num. 217. & alii plures defendunt, non posse, nequidem Episcopos, pro labore, quem habent in executione dispensationum matrimonialium à Sede Apostolica sibi commissarum, exigere aliquid temporale, etiam ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta, & id probant ex Concilio Tridentino locis citatis, & ex variis declarationibus Sacræ Congregationis relatis ab ipso Garcia loc. cit. in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus. Quamvis tamen Sanchez de Matrimonio lib. 8. disp. 35. num. 11. & alii sustineant expresse oppositum.

32 Non est simonia etiam ex pacto exigere, seu accipere aliquid temporale, non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad honestam sustentationem pro missis, orationibus, aliisque bonis operibus spiritualibus. *Communis*, ut patet ex praxi universalis per textus allegatos supra num. 26. Unde merito in Concilio Constantiensi à Martino V. inter propositiones Wicleff. damnata est etiam sequens 25. in ordine: *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus*, id est, pro illis, qui ipsis dant temporalia.

33 Sunt tamen sub excommunicatione prohibite omnes ex pacto donationes, promissiones, & hujusmodi, quamvis istæ non sint acceptatæ pro obtinenda pro se vel pro alio Justitia, vel gratia aliqua apud Sedem Apostolicam, etiam apud mediatos Intercessores, qui vel promovere, vel impedire possent tales causas, & talis obtentio declaratur irrita. Sic expresse Alexander VII. in const. 19. incip. Inter gravissimas: de datis, & promissis pro Justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, confirmans, & amplians constitutiones ad id editas à Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. unde cum sit vere digna, ut ab omnibus sciatur, & admissim observetur, hic ad literam datur.

34 Confirmatio, innovatio, declaratio, & extensio constitutionum Bonificii VIII. & Gregorii XIII. de datis, & promissis pro Justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

35 Inter gravissimas, multiplicesque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitia, & gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, ea, quæ par est, rectitudine peragantur, ne pernicioso cujusquam circa illas excessu Romane Cur-

ritæ existimatio ullatenus lædatur; sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendat laude integritatis, & abusus quicumque ab illa procul arceantur. Quapropter operæpretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris simili consilio provide sancita sunt, ut imposterum firmius observentur, innovemus, illaque declaramus, extendamus, prout in Domino arbitræmur rationi esse consentaneum.

36 §. 1. Dudum siquidem emanarunt à fel. record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris literæ tenoris, qui sequuntur. Videlicet, Bonif. VIII. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curie, sive alii undecumque, qui aliquid pactum fecerint, seu aliquid parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta generalibus, & plenarie non expressis, sive sit sub specialibus, & expressis aperte verbis, quidquam dederint, aut receperint magnum, vel parvum, vel promissionem de quacumque re, aut utilitate propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua Justitia, sive gratia pro se, aut pro alio in causis, vel iudiciis, sive aliis per literas Apostolicas, & quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

37 §. 2. Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

38 Illis quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alium, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

39 Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutiōnis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad Nos habere accessum non possit in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutiōnis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

40 Justitiam vero, sive gratiam sic obtentam nullius propterea esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

41 Sed & scienter utentes ipsi simili sententiæ excommunicationis adstringimus, & reservantes Nobis absolutiōnem eorum cum præmissis, in omnibus ad penas similes obligamus.

42 §. 3. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quàm maxime possumus, enitimur, atque contendimus, ut Domus, & Curia nostra à sordibus expurgentur.

43 Cui salubri consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, Laicos utriusque sexus, sive familiares Curie, sive undecumque alios, qui aliquid pactum facerent, seu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, & plene non expressis, sive specialibus, & aperte expressis facta quidquam darent, aut reciperent pro Justitia, sive gratia, sive pro alio in causis, vel iudiciis, sive aliis per literas Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam: Illos etiam, qui sibi intra triduum non renuntiarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alii, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere, ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiæ absque speciali mandato suo absolutiōnis beneficium valeat obtinere, nisi in mortis articulo constitutus, sed nec quisquam admittetur ad absolutiōnis gratiam nisi prius eroga-

44 tum esset pauperibus; quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Justitiæ vero, seu gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius propterea essent roboris, vel momenti, & scienter illis utentes simili sententiæ innodati, ac reservavit sibi absolutiōnem eorum cum prædictis, & ad penas similes in omnibus obligavit.

45 §. 4. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquiritores turpissime nudentur. Alii alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiunt. Quidam etiam se malum operam, atque industriam pretio & muneribus quasiisse affingunt. Quæ cum pessima sint, & Curia prædictæ existimationem gravissimè offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum fore arbitrati; constitutionem prædictam cum suis censuris, & penis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualescumque horum facinororum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis prædictis auxilium, consilium, vel favorem.

46 §. 5. Quin etiam eos omnes omni beneficio, & officio ecclesiastico, & seculari, sive temporali, sive perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamiam subiectos perpetuo, ac inhæbiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales penas exigantur, quæ ceteris sint exemplo.

47 §. 6. Illi tamen, qui rem adhuc incognitam, complicisque, fautores, & socios detexerint, impunitas concedatur. Darum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Nonis Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

48 §. 7. Cum autem subinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonificii, & Gregorii prædecessorum constitutionum interpretationes, quarum aliqua ipsarum constitutionum rigorem non sine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorundem prædecessorum mentem nimium relaxant, hinc est, quod Nos omnem, quæ circa præmissa impofterum enasci posset, dubitationem tollere, & quamcumque speciem, suspitionem, & occasionem damnatæ per constitutiones hujusmodi labis à Curia prædicta, quantum Nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præserinas Bonificii, & Gregorii prædecessorum constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & penis, ac aliis quomolibet contentis in illis (sublatæ tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuo confirmamus, innovamus, & adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquo modo pretendi posset, restitimus; & plenarie reintegramus.

49 §. 8. Ac in iisdem constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel depōnitur pro Justitia, vel gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, & mixtis, apud Sedem prædictam, & non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam à quibuscumque ejus Ministris, Judicibus, & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia quilibet ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate prædictis, & sangentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus; etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis, vel affinitatis gradu quocumque conjunctis, seu affinitatibus, etiam Laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocumque loco in quo dictam Curiam esse contigerit, comprehendere decernimus, & declaramus.

50 Præterea constitutiones hujusmodi, non tantum in actionibus jure naturali, & divino prohibitis, quæ mala sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo mala sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis constitutionibus, ac præsentium nostra interdicuntur, locum habere.

51 Nec non mediatores, sive immediatos, sive me-

»diatos, quotquot, & quicumque sint, & quavis dignitate, praeinentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut praemissum est, polleant, & praesulgeant.

»Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac penas evitari posse in casibus, in quibus cesset suspicio mali.

»Denique illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Justitia, vel gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel depouunt, promittunt, seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio, vel molestia quomodocumque inferri, & resultare possent, & mediatores quoscumque immediatos, sive mediatos.

»Insuper quaecumque verba, seu signa etiam aequivoce quovis modo apta inducere quancumque obligationem Justitiae, aut fidelitatis in principali, seu mediatores, etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis, a constitutionibus supradictis prohiberi.

»Quinimmo non licere quidquam promittere, dare, vel accipere quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus & aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatores pro defensione juris quaesiti, sive assuetione quaerendi etiam ad reddendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore praedictis decernimus pariter, & declaramus.

»Ad haec donationes, promissiones, & acceptationes pro gubernatis, vel aliis quibuscumque officiis, & muneribus, etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocumque a constitutionibus praedictis interdictis, neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro gratia, vel Justitia obtinenda, etiam in his, quae dependent ab eorum arbitrio, & ad quae obligatione Justitiae non tenentur quidquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

»Neque etiam permixtum est Officialibus vel Ministris dicte Sedis in provisionibus, sive earum occasione quoruncumque officiorum, etiam jurisdictionem, vel ejus exercitium annexum non habentium, imponere suspensionem ullam, responsionem, praestationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumentum ad sui, vel alius cuiuscumque favorem reservare absque expressa, & speciali in casibus nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis licentia in scriptis singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

»Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus seu agentibus, ac mediatores quibuscumque sollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione quod Judicium, Ministrorum, Officialium, aut Magnatum, seu aliorum quoruncumque operam, auctoritatem, vel officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quaesiverint.

»Nec non polliciantes, promittentes, offerentes, nec tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptatae, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

»Ac etiam illos, qui ex eo quod gratias, & favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis dominis, vel aliis praestita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris, vel spei jactura commodum, & beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, vel pro gratia, seu Justitia pro eis obtinenda aliquid recipiunt sub memoratis constitutionibus contineri, illarumque penis, & censuris subiectos esse.

»Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscumque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci nisi mercedem labori convenientem.

»Judicibus autem, Officialibus, Ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio gratiae, vel Justitiae, minime permitti quidquam recipere, neque illis

»polliceri, promittere, vel cum eis pacisci ultra taxas praescriptas, etiam ratione celerioris aut facilioris expeditionis.

»Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ab ipsis recipere mediate, vel immediate, etiam quod eorum animum movere non possit pro gratia, vel Justitia obtinenda.

»§. 9. Demum supradictarum constitutionum dispositionem, censuras, & penas non censi abolitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinenda fuerint expresse remissa, motu scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus.

»Praefatasque constitutiones, ac censuras, & penas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

»§. 10. Praeterea easdem Bonifacii, & Gregorii Praedecessorum constitutiones pro alteram pie memor. Clementis Papae VII. praedecessoris pariter, nostri, quae incipit: Pro commissa: anno Incarnationis Dominicae 1592. decimo octavo Kal. Septembris editam ad ceteras ditionis temporalis S. R. E. civitates, & loca immediate subjecta (praeterquam quoad bona Communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi, sed eos quidem omnino comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status ecclesiastici, & cujusvis alterius partis mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per literas, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro Justitia, vel gratia apud Sedem praedictam obtinenda declaramus pariter, & statuimus.

»§. 11. Postremo tametsi credamus, & speremus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerabilibus Fratribus nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, aut in quacumque alia etiam Superiori ecclesiastica, quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate in praemissis quoquo modo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem Curia abusibus quibuslibet abundare potius, quam in aliquo deficere volumus, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, & Patriarchas, ceterosque in quacumque alia etiam praedictis superioribus, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate, etiam per nostras, & Cancellariae nostrae Apostolicae regulas caute sit, quod illi in constitutionibus per Nos editis, & edendis, non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem constitutionibus facta fuerint ipsorum expressa mentio, in praedictis constitutionibus, ut praemittitur, declaratis, & extensis, ac in praesenti nostra quoad censuras comprehendendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus.

»§. 12. Porro venia solita, & esculenta, & poeulenta, quae Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanae Curiae exhiberi consueverunt, praefatis Praedecessorum nostrorum literis, ac praesentibus nostris minime prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

»§. 13. Declarantes pro praesentem nostram constitutionem non censi abrogatam constitutionem similis recordi. Pii Papae V. etiam praedecessoris nostri, contra ambientes dignitates, & officia Jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, quae incipit: Etsi Romani: &c. No. mens Decembris anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac ceteras ipsius Pii praedecessoris & aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum quoruncumque constitutiones, ordinationes, ca-

»nones, & decreta in hac materia, vel circa eam haecenus edita, ac nostram, & Cancellariae Apostolicae regulam 67. quae statutum, ut Officialis Romanae Curiae praedictae nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

»§. 14. Ac decernentes praesentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praedicti, & alii quilibet, etiam speciali nota, & expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, & justificate, ulatenus fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima, Juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptione, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu interesse habentium, & aliorum quoruncumque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quocumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concessio quampiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus constitutionum, & declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & censi, firmitasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis praedictis, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus, & conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter, & inconcusse observari.

»§. 15. Sicque, & non aliter &c.

»§. 16. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, & quod Cardinales non comprehendantur sub regulis, & constitutionibus editis, & edendis, nisi in eisdem facta fuerint ipsorum expressa mentio, ac ceteris nostris, & Cancellariae praefatae regulis, aliisque constitutionibus, &c.

»§. 17. Ut autem eadem praesentes literae &c.

»§. 18. Quodque illarum transumptis, &c.
»Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub ann. Piscatoris die 2. Maii 1659. Pontificatus nostri anno secundo.

»Quae const. fuit confirmata, innovata, & extensa ab Innocentio XII. const. incip. Sacerdotalem: merito videnda in Bullario, & apud Ursayam Instit. crimin. lib. 2. tit. 2. post. num. 117.

»Additur attendenda sequens resolutio Sacrae Congregationis Concilii de anno 1686. relata a toties laudato Cardinali de Lambertinis volumine 5. notification. 7. ut sequitur.

Alexandrina augmenti dotis Canonicatus.

Vacante a pluribus mensibus canonicatu in ecclesia collegiata Sanctae Mariae de Nova Jurisparanatus Fratrum de Mantellis, Sacerdos Thomas Maria Verrus propositus dictis patronis, se dicti Canonicatus dotem aucturum fore mediante assignatione eundem vineae, expressa tamen lege adjecta, ut ad eundem Canonicatum debeat ab illis praesentari.

Timens nihilominus, id aliquam simoniae labem involvere, pro conscientia sua securitate proposuit infrascriptum dubium, quo audito, & narratorum veritatem comprobante Episcopo, relatum fuit in proxima Congregatione per modum Summarii.

Cum autem Eminentissimi Patres mandaverint illud in folio describi, decernendum nunc superest.

An dicta conventio sit simonicae?
Sacra Congregatio Concilii Respondit: Affirmative.

Vide cap. Tua nos 34. de Simonia, & Fagnan. ibidem num. 4.

»Tametsi statutum sit, ut refert Auctor num. 23. 37 ne plures ad Religionem admittantur, quam posset Religio commode sustentare de suis proventibus, aut consuetis elemosinis; nihilo tamen minus praxis in pluribus monasteriis invaluit, ut ab ingredientibus non solum pecuniam recipiant, & exigant, sed etiam de eadem praevie stipulentur monasterii Superiores.

Soletque communiter ex hac ratione excusari praxis haec, quod id fieri liceat ratione sustentationis ac Juris ad eandem, pro quo aliquid ab Ingredientibus recipi posse praetendunt Auctores; idque in monasteriis non solum indigentibus, sed & opulentis.

At vide qui materiam hanc funditus examinat, & pluribus distinctis casibus resolvit, & quidem relictissime Cocq de Jure Just. & annex. cap. 4. sed. 9. §.

ARTICULUS III.

Quoad ea, quae concernunt penas simoniae, & restitutionem simoniae acceptoriam.

SUMMARIUM.

1. *Non solum, & omnem simoniam realem (confidentiali excepta) incurritur ipso facto Juris poena.*
2. *Et quidem per simoniam mentalem nulla incurritur Juris poena.*
3. *Item nulla incurritur Juris poena per simoniam conventionalem, sive pure conventionalem, sive conventionalem mixtam.*
4. *Prima poena contra simoniam realem in ingressu Religionis commissam, est, quod tam dantes, quam recipientes aliquid Simoniae, si sint persona singulares, excommunicationem, si consentus in communi, suspensionem ab officio Capitulari ad Jurisdictionem, vel administrationem pertinentem ipso facto incurrant.*
5. *Secunda est, quod Religiosi Simoniae recepti expellantur de suo monasterio, & in alteri monasterio ad agendum ibi penitentiam detradantur, & Superior, ut majores persona monasterii suspendatur, & etiam in alteri monasterio detradantur.*
6. *Tertia est, quod Rei Simonia pro ingressu Religionis incurrant infamiam Juris, & consequenter evadunt Irregulares, saltem si crimen sit notorium notoritate Juris, aut Facti.*
7. *Professio tamen illorum adhuc est valida.*
8. *Et ante emissam dictam professionem ipso facto non incurritur.*
9. *Quamvis Moniales sufficientes, & abundantes redditibus pro honesta sustentatione ingredientium habentes, si pro ingressu ad Religionem aliquid temporale exigant, aequae ac alii Regularis veram simoniam committunt, tamen poenas Juris non incurrant.*
10. *Prima poena contra simoniam realem in collatione, & susceptione Ordinum commissam, est, quod tam conferens, quam recipiens Ordinem per simoniam realem sit ipso facto excommunicatus.*
11. *Secunda est suspensio Ordinis a collatione Ordinum saltem per triennium, & Ordinis, donec ab ipsa suspensione fuerit per Sedem Apostolicam absolutus &c.*
12. *Tertia est, quod Ordinatus scienter Simoniae praeter excommunicationem, quam ipso facto incurrit, sit suspensus ab executione omnium suorum Ordinum, non solum Simoniae suspectorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta.*
13. *Prima poena contra simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam, est, quod tam illi, qui aliquid beneficium, seu officium ecclesiasticum, sive seculare, sive regulare Simoniae conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, quam illi, qui ipsum sic acquirunt, ipso facto incurrant excommunicationem. Poena reservatam.*

- 14 *Secunda est, quod collatio, provisio, & acquisitio hujusmodi beneficii, aut officii, simoniace facta, sit ipso jure irrita, & nulla, ita ut provisor teneatur sub anima sua damnatione illud sponte dimittere, & ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit.*
- 15 *Tertia est, quod qui simoniace hujusmodi beneficium, seu officium obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante omnem sententiam, non solum dimittere teneatur, sed ad aliud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset.*
- 16 *Quarta est, quod qui simoniace aliquod hujusmodi beneficium, aut officium obtinuit, sit etiam inhabilis ad quaecumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*
- 17 *Quinta est, quod qui simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium, aut officium, sit privandus per sententiam Judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis.*
- 18 *Sexta est, quod qui simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium, sit per sententiam Judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus.*
- 19 *Supradictas penas inducit etiam simonia Juris ecclesiastici in resignatione, & permutatione beneficiorum commissa.*
- 20 *Qui beneficium per simoniam ab alio commissam obtinuit, teneatur illud etiam ante Judicis sententiam dimittere, quamprimum rescit simoniam esse commissam.*
- 21 *Non teneatur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium, ipso ignorante, simonia ab alio commissa est.*
- 22 *Item non teneatur beneficium dimittere, qui contra simoniam ab alio pro beneficio obtinendo committendam expresse potestatur, quamvis ipse alius, ignorante d. & expresse contradicente, in simonia pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur.*
- 23 *Teneretur tamen beneficium dimittere, si seiret, quod dictus alius, non obstante contradictione, & protestatione sua, nihilominus in simonia pergeret eaque mediante beneficium obtineret.*
- 24 *Et si fortiori teneretur tale beneficium dimittere, si per simoniam alterius fuisset obtentum, sciente, & non contradicente ipomet, pro quo fuisset obtentum.*
- 25 *Qui se ignorante, aut omnino nesciente, per simoniam alterius est ordinatus, de rigore Juris, donec dispensetur, teneatur ab executione Ordinis abstinere postquam simoniacam Ordinationem resciverit.*
- 26 *Prima pena simoniae confidentialis est, quod praeter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, prius non solum Beneficio, circa quod simoniae confidentialis commissa est, sed etiam aliis beneficiis, & pensionibus Canonice obtentis.*
- 27 *Secunda est, quod inhabilis reddat totaliter Simoniacum ad idem, & alia quaecumque beneficia obtinenda.*
- 28 *Tertia est, quod beneficium per simoniam confidentialem nulliter acquisitum reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat.*
- 29 *Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant Camerae Apostolicae.*
- 30 *Quinta est, quod praefata pena contrahatur, non solum per simoniam Realem, sed etiam per simoniam conventionalem mixtam.*
- 31 *Quae sint penas statuta contra dantes, vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda Justitia, seu Gratia apud Sedem Apostolicam.*
- 32 *Qui obtinuit simoniace beneficium, aut officium aliquod ecclesiasticum, teneatur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem Judicis sententiam restituere, ac dimittere, etiam si simonia sit occultissima.*
- 33 *Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto laici, vel praestandi spirituale, & postea conditionem, seu pactum non implevit, teneatur jure divino, seu naturali restituere totum acceptum.*
- 34 *Qui pro electione, presentatione, nominatione &c. aliquid ad beneficium seu officium ecclesiasticum, aliquid temporale accepit, teneatur illud restituere an-*

- te omnem Judicis sententiam.
- 35 *Et quidem ad talem restitutionem teneatur de Jure divino.*
- 36 *Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, teneatur illud restituere ecclesiae, in qua est beneficium, non ipsi danti praesertim per sententiam Judicis.*
- 37 *Vel pauperibus.*
- 38 *Ante sententiam tamen Judicis posse, immo deberi simoniace accepta restituere illis, a quibus sunt accepta, defendunt plurimi.*
- 39 *Simoniace accepta ob ingressum in Religionem an, & cui debeant restituere.*
- 40 *Simoniace accepta pro collatione Ordinis, & administratione aliorum Sacramentorum, & sacramentalium, restitui debent de Jure divino, & consequenter ante omnem Judicis sententiam.*
- 41 *Et talis obligatio restituendi simoniace accepta oritur etiam ex simonia mentali.*
- 42 *Alia ad rem, remissive.*
- 43 *Novae addit. inseruntur, ad fin.*

Ob solam, & omnem simoniam realem (confidentiali excepta) incurritur ipso facto Juris poena. Communis, per text. in cap. Presbyter 3. cap. Quisquis 5. cap. Quos 6. cap. Reperitur 7. caus. 1. q. 1. cap. Salvator 8. caus. 1. q. 3. Extravagant. Sane 1. & cap. Cum detestabile 2. de simonia cum similibus in tot. tit. de simonia, & S. Pius V. const. incip. Cum primum:

Et quidem per simoniam mentalem nulla incurritur Juris poena. Communis, per text. in cap. Tua nos 34. & cap. Mandato 46. de simonia, ubi simonia mentalis non judicatur ab ecclesia, qui datum est de manifestis tantummodo judicare, sed judicanda relinquuntur a districtissimo Judge, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum. (Consonat lex 20. tit. 17. p. 1. in fin.)

Item nulla incurritur Juris poena per simoniam conventionalem, sive pure conventionalem, sive conventionalem mixtam, teste Reiffenstuel loc. cit. num. 239. Et ratio est, quia nullibi in Jure reperitur aliqua poena clare expressa contra simoniam conventionalem, sive puram, sive mixtam. In dubio autem non est asserenda poena, argument. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6. ibi: Odia restringi, & favores convenit ampliari, cap. In penis 49. eod. in 6. ibi: In penis benignior est interpretatio facienda, leg. Interpretatione 42. ff. de penis, ibi: Interpretatione legum poena mollienda sunt potius, quam asperanda, & cap. In obscuris 30. de Regul. Juris in 6. ibi: In obscuris minimum est sequendum: Tum quia, ut testantur Navarrus in manual. cap. 23. n. 104. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 27. Sanchez consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 10. num. 106. Reiffenstuel loc. cit. num. 239. & alii, ita servare solet Stylus Curiae, qui habetur pro Jure, & lege, juxta Communem Doctorum, argum. cap. Ex litteris 11. de constit. & cap. Quam gravi de criminis falsi.

Poenae contra simoniam realem in ingressu Religionis commissam sunt sequentes. Prima est, quod tam dantes, quam recipientes aliquid simoniace pro ingressu Religionis, si sint personae singulares, excommunicationem; si vero omnes Religiosi capitulariter congregati consentientes fuerint, suspensionem ab officio capitulari ad Jurisdictionem, vel administrationem pertinentem ipso facto incurrant, aliis etiam penis in suo robore duraturis. Sic expresse Extrav. 1. de simonia.

Secunda est, quod Religiosi simoniace recepti expellantur de suo monasterio, & in arciori monasterio ad agendum ibi penitentiam detrudantur, & Superior, & majores personae monasterii suspendantur, & etiam in arciori monasterio detrudantur: cap. Veniens 19. & cap. Quoniam 40. de simonia.

Tertia est quod Rei simoniace pro ingressu Religionis incurant infamiam Juris, & consequenter evadant Irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate Juris, aut Facti. Extrav. Sane 1. de simonia, & Ceterum ibi: Nota infamiae in contraria.

- 7 *Professio tamen illorum adhuc est valida, cum nullibi in Jure ob id declaretur invalida. Sanchez lib. 2. consil. cap. 3. dub. 104. num. 5. Lessius lib. 2. cap. 35. num. 132. Reiffenst. loc. cit. 254. & alii passim. Et ante emissam dictam professionem poena ipso facto non incurritur: Unde si Regulares nihil simoniace recipient, vel receptum iterum ante professionem restituant, aut ingressus ad Saeculum non Professus reddeat, immunes sunt a dictis penis; Castrop. de simonia punct. 23. n. 3. Pirhing l. c. n. 71. Reiffenst. l. c. n. 255. Suarez lib. 4. de simonia cap. 56. num. 7. & alii. Et ratio est, quia licet committatur simonia statim post simoniacum ingressum, praefata tamen Juris poena non incurritur, nisi secuta professione; cum pactio simoniaca principaliter sit ordinata ad professionem religiosam; adeoque si ipsa professio non sequatur, quia tunc pro admissione ad professionem nulla recipitur pecunia, sed gratis fit, non censetur perfecte consummata illa simonia, & consequenter nec sufficiens pro inducendis penis a Jure statutis, cum Leges poenales intelligi debeant cum effectu, nec extendi ultra casum expressum, arg. cap. Odia 15. cap. In penis 49. de Reg. Jur. in 6. & l. Interpretatione 42. ff. de penis.*
- 9 *Quamvis Moniales monasteriorum habentium sufficientes, & abundantes redditus pro honesta sustentatione ingredientium, si pro ingressu, & admissione ad religionem, & professionem aliquid temporale exigant, & ac alii Regulares veram simoniam committant, tamen poenas Juris non incurritur, licet illud temporale se recipere dicant loco dotis ad honestam Ingressus sustentationem: Dicit enim poena, seu censura respectu Monialium revocata fuerunt per Bullas plurium Pontificum, ut referunt Doctores apud Suarez disp. 22. de censuris sed. 5. num. 14. & Pirhing l. c. n. 71. & Ceterum.*
- 10 *Poenae contra simoniam realem in collatione, & susceptione Ordinum commissam, sunt sequentes. Prima est, quod tam Conferens, quam Recipientes Ordines per simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. Extrav. Cum detestabile 2. de simonia c. Reperitur 7. caus. 1. q. 1. Pirhing l. c. num. 156. Reiffenstuel l. c. n. 257. & 258. & alii passim.*
- 11 *Secunda est suspensio Ordinantis a collatione ordinum saltem per triennium, & Ordinati, donec ab ipsa suspensione per Sedem Apostolicam fuerit absolutus; cap. Si quis ordinaverit 45. de simonia. Item si simonia crimen sit manifestum, tam Ordinans, quam Ordinatus deponendus est a suo gradu, & officio ecclesiastico, textu expresso in c. Qui per pecuniam 9. caus. 1. q. 1. ibi: Qui per pecuniam quem consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus a Sacerdotio fiat: Et ex const. 91. Sixti V. incip. Sanctum, & salutare: Ordinandus simoniace a collatione quorumcumque Ordinum, & prima Tonsura, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu ecclesiae interdictus existit, reservata harum censurarum absolute Summo Pontifici, quamvis simonia esset occulta: quas penas in suo robore permanere voluit Clemens VIII. quamvis dictam Bullam Sixti V. quoad aliqua puncta revocaverit ad terminos Juris communis in sua const. 40. incip. Romanum Pontificem: Et si Interdictum violat, praeter Irregularitatem, quam incurrit vigore cap. Cum medicinalis 1. & cap. Si cui 20. de sententia excommuni. in 6. etiam suspensus est a regimine, & administratione suae ecclesiae, & perceptione omnium fructuum a beneficiis suis provenientibus: Sic expresse cit. const. Sixti V. incip. Sanctum, & Salutare: non moderata nec revocata quoad dictas penas contra simoniacos a Clemente VIII. in dict. const. incip. Romanum Pontificem:*
- 12 *Tertia est, quod Ordinatus simoniace scienter praeter excommunicationem, quam ipso facto incurrit, arg. cap. Reperitur 7. caus. 1. q. 1. & Extrav. Cum detestabile 2. de simonia, sit suspensus ab executione omnium suorum Ordinum, non solum simoniace susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis simonia sit occulta, cit. Extrav. Cum detestabile 2. de simonia, quae a Doctoribus communiter intelligitur de suspensione om-*

nium Ordinum, etiam non simoniace receptorum, ut notat Pirhing l. c. num. 160. Reiffenst. l. c. num. 263. Lessius l. c. n. 235. & alii passim. Et si postea in tali suspensione aliquem adum Ordinis exerceat, incurrit etiam irregularitatem; cap. Apostolica 6. de Clerico excomm. cap. Is cui 20. de sentent. excomm. in 6. Et insuper incurrit privationem officiorum, & beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, si fuerit Secularis: Si vero Regularis, privationem vocis activae, & passivae, atque inhabilitatem ad eam, reservata dictam poenam absolute soli Summo Pontifici, etiam si simonia esset occulta. Sic expresse cit. const. Sixti V. incip. Sanctum: & salutare: non moderata, nec revocata quoad dictas penas contra simoniacos a Clemente VIII. const. incip. Romanum Pontificem:

Poenae contra simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam sunt sequentes. Prima est, quod tam illi, qui aliquod beneficium, sive officium ecclesiasticum, sive Seculare; ut episcopatum, archiepiscopatum, canonicatum, & hujusmodi, sive Regulares, atque generalatum, provincialatum, prioratum, guardianatum, rectoratum, definitorium, & hujusmodi, simoniace conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, eligendo, postulando, praesentando, commendando, & hujusmodi, quam illi, qui aliquo ex praefatis modis simoniace beneficium, aut officium hujusmodi acquirunt, ipso Jure; & facto incurrit excommunicationem Papae reservatam, cit. Extrav. Cum detestabile 2. de simonia, & S. Pius V. const. 5. incip. Cum primum:

Secunda est, quod collatio, provisio, & acquisitio hujusmodi beneficii, aut officii simoniace facta sit ipso jure irrita, & nulla, ita ut provisor teneatur sub anima suae damnatione illud sponte dimittere & ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit, cap. Si quis neque caus. 1. q. 1. c. Mattheus 23. de simonia, & cit. Extrav. Cum detestabile 2. de simonia, & S. Pius V. cit. const. incip. Cum primum:

Tertia est, quod qui simoniace hujusmodi beneficium, aut officium ecclesiasticum obtinuit, illud utpote nulliter obtentum ante omnem sententiam, non solum dimittere teneatur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset, cap. Si aliquis 59. de elect. cap. Nobis fuit 27. de simonia, & S. P. V. cit. const. Cum primum.

Quarta est, quod qui simoniace aliquod hujusmodi beneficium, seu officium ecclesiasticum obtinuit, sit etiam inhabilis ad quaecumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Sic expresse S. P. V. cit. const. incip. Cum primum: Quam tamen poenam, vel non esse us receptam, vel non obligare in conscientia foro ante condemnationem, vel declarationem Judicis sententiam, tenent Navarr. cons. 92. de simonia, Castropal. de simonia punct. 25. Pirhing l. c. n. 270. Reiff. l. c. n. 267. & alii.

Quinta est, quod qui simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium, aut officium ecclesiasticum, sit privandus per sententiam Judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis, text. expresso in cap. Cum super 21. de confessis, cum similibus.

Sexta est, quod qui simoniace obtinet aliquod hujusmodi beneficium, aut officium ecclesiasticum, sit per sententiam Judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus, textu expresso in cap. De hoc 11. de simonia, cum similibus.

Supradicti Juris penas inducit etiam simonia Juris ecclesiastici in resignatione, & permutatione beneficiorum commissa; sic contra paucos Communio Doctorum cum Abbate in cap. Cum universorum, de rerum permutatione, num. 6. Pirhing l. c. n. 155. Reiffenst. l. c. n. 272. Layman de simonia cap. ult. num. 66. Suarez, & alii passim: Sacri enim canones, & constitutiones Pontificiae; dum penas contra simoniam statuunt, ordinari in genere; & indiscriminatim de quavis simonia reali loquuntur, adeoque etiam de Simonia Juris ecclesiastici, quia ubi lex non distinguit, neque non distinguere debemus, cap. Quia circa 22. de privi. & l. De pretio 8. ff. de Publiciana in rem actione. Tum quia plures Sacri canones loquuntur de simonia Juris humani, seu eccle-

siastici, eamque penis Juris subjiciunt, ut videre est in cap. Quæsitum 5. & cap. Cum olim 7. de rerum permut. cap. De hoc 11. de simonia Extrav. Cum detestabile 2. de simonia, cum similibus.

20 Qui beneficium per simoniam realem ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante Judicis sententiam dimittere, quamprimum rescit simoniam esse commissam, textu expresso in cap. Eos qui 2. caus. 1. q. 5. cap. Nobis fuit 27. & cap. Sicut tuis 33. de simonia, ibi: Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur.

21 Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium ipso ignorante, simonia ab alio commissam est, textu expresso in cit. cap. Nobis fuit 72. de Simonia, ibi: Nisi constaret illos, qui promissum tale (nempe simoniacum) fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse.

22 Item non tenetur beneficium dimittere qui contra simoniam ab alio per obtinendo beneficio committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, in simonia pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur; Communis, textu expresso in cit. cap. Sicut tuis 33. de simonia, ibi: Quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (à qua postmodum minime recessisti) aliqui se penitus ignorante, promissum pecuniam, & excoluit, nihil tibi debet ad penam, vel ad culpam imputari.

23 Tenetur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius non obstante contradictione, & protestatione sua, nihilominus in simonia pergeret, eaque mediante beneficium obtineret, quia sic acceptando videretur in se approbare simoniam, & consentire in illam. Sic colligitur clare ex cit. cap. Sicut tuis 33. de simonia, ubi excusatur à pena nullitatis solum ille, qui post contradictionem ignorat beneficium ab alio simoniacè pro se obtineri, adeoque ille, qui scit, non excusatur hoc ipso, quod sciat beneficium pro se simoniacè fuisse obtentum. Eo vel maxime quod per verba textus allegati supra numer. 20. Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 25. num. 143. Reiffenst. loc. cit. num. 261. & alii passim.

24 Et à fortiori tenetur tale beneficium dimittere, si per simoniam alterius fuisse obtentum, sciente, & non contradicente ipsomet, pro quo fuisse obtentum. In tali enim casu ipsemet plene consentire videretur, quia ut recte advertit Glossa communiter recepta in cit. cap. Sicut tuis, verb. Præbere: sæpe qui tacet, consentire videtur, per text. in l. Sicut proponis 5. Cod. de Nuptiis, l. Solutio Matrimonio 2. ff. Solutio Matrimonio, cap. Si servus 19. dist. 54. & expresse cap. Qui tacet 33. de Regul. Juris in 6. ibi: Qui tacet, consentire videtur.

25 Qui se ignorante, seu omnino nesciente per simoniam alterius est ordinatus, de rigore Juris, donec dispensetur, tenetur ab executione Ordinis abstinere, postquam simoniacam Ordinationem resciverit, argument. cap. Præsentium caus. 1. quest. 5. & cap. De Regularibus 25. de simonia. Poterit tamen cum taliter Ordinato Episcopus dispensare, prout habetur in cit. cap. Præsentium 3. caus. 1. quest. 5. & tenet Glossa ibidem, quia talis, quamvis simoniacè fuisse ordinatus, tamen simoniacus non esset, ut dicitur in cap. De simoniacè Ordinis 22. de simonia.

26 Simonia confidentialis pœnæ sunt sequentes. Prima scilicet, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrandam, privat non solum beneficium, circa quod simonia confidentialis commissam fuit, sed etiam alia beneficia, & pensionibus canonicè obtentis; Pius IV. constituit. 85. incip. Romanum Pontificem; & S. Pius V. constituit. 85. incip. Intolerabilis:

27 Secunda est, quod inhabilem reddat taliter simoniacum ad idem, & alia quæcumque beneficia obtinenda. Pius IV. cit. const. incip. Intolerabilis, & S. Pius V. cit. const. incip. Intolerabilis:

28 Tertia est, quod beneficium per simoniam confiden-

tialem nulliter acquisitum reservatur Summo Pontifici, ita ut nullus alius illud conferre valeat. Pius IV. & S. Pius V. in citatis constitutionibus.

Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debeant Cameræ Apostolicæ. Pius IV. & S. Pius V. in cit. Constitutionibus.

Quinta est, quod præfate pœnæ contrahantur non solum per simoniam realem, sed etiam per simoniam conventionalem mixtam. S. P. V. cit. const. incip. Intolerabilis: ubi S. Pontifex decernit pœnas contra simoniam confidentialem statutas incurri, licet ipsa simonia confidentialis alterius tantum partis conscientia sit completa. Vide ipsam constitutionem relatam supra art. 1. num. 15.

Quæ autem sint pœnæ statute contra dantes, vel promittentes pecuniam, seu temporalia, pro obtinenda Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam? Vide supra art. 2. num. 35. ubi ad id afertur per extensum constituto Alexandri VII. de datis & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Quoad restitutionem simoniacæ acceptorum, tenendum est pro certo, quod qui obtinuit simoniacè beneficium, seu officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub moralis sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem Judicis sententiam restituere, ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima, c. Si quis neque caus. 1. q. 1. cap. Mattheus 23. de Simonia; Extravagant. Cum detestabile 2. de Simonia; S. Pius V. constituit. 5. incip. Cum primum:

Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto dandi, vel præstandi spirituale, & postea conditionem, seu pactum non implet, tenetur Jure divino, & naturaliter restituere totum acceptum. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia sicuti dispensator elemosynam gratis dispensare jussus pauperi, facit ei injuriam, & ad restitutionem tenetur, si pro dicta elemosyna ipsi pauperi tradenda, ab eo exigat, & accipiat pecuniam: Ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quæ tamquam dispensator gratis distribuere debet juxta præceptum Domini: Matthæi 10. Gratis accepistis, gratis date, temporalia exigit. Et eo magis in nostro casu urget obligatio restitutionis ratione pacti expressi, quod non implet.

Qui pro electione, collatione, præsentatione, nominatione alicujus ad beneficium seu officium ecclesiasticum aliquod temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem Judicis sententiam. Communis, & certa, textu expresso in cap. De hoc 11. de Simonia, ibi: Reges, & Principes ejus debet inducere, ut si qua receperint à prefato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesie Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint.

Et quidem ad talem restitutionem tenetur de Jure divino. Communis. Cum enim talis non sit dominus, sed dispensator solum hujusmodi rei spiritualis, & à Domino Deo jussus, ut gratis distribuatur, Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date, facit injuriam Domino Deo, & illi, à quo pro re spirituali temporale exigit; sicut peccat contra Justitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem de Jure divino.

Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere ecclesie, in qua beneficium existit, non ipsi danti, præsertim post sententiam Judicis. Communis, & clare habetur ex cit. cap. De hoc 11. de Simonia, ubi expresse præcipitur, ut hujusmodi simoniacè accepta restituantur ecclesie Oxoniensi.

Advertunt tamen Doctores cum Sancto Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. ad tertium, posse tale temporale acceptum restitui pauperibus Superioris arbitrio: Immo multi asserunt jam legitime introductum esse, ut talia simoniacè accepta restituantur pauperibus, cum obligatio ad restituendum ecclesie, & non alii, sit tantum lex humana, seu ecclesiastica, cui potuit, & potest per legitimum consuetudinem derogari, cap. Cum tanto 11. de consuetud. (Verb. Consuetudo, & Lex.)

Ante sententiam tamen Judicis posse, immo de-

beri talia Simoniacè accepta restitui illis, à quibus sunt accepta, defendunt absolute Sorus lib. 9. q. 8. art. 1. de Simonia, & S. Ad sextum, Moya tract. 6. miscell. disp. 4. quest. 6. §. 2. num. 13. Bannes 2. 2. quest. 32. art. 7. dub. 2. Reiffenst. loc. cit. num. 296. & 297. Et probabiliter Palao de simonia punct. 26. num. 5. Lessius l. 2. cap. 35. dub. 31. 171. & alii.

Simoniacè accepta pro ingressu in Religionem possunt retineri à monasterio in communi usu; at non ad speciale usum Superioris, seu Superiorissæ, aut alterius singularis personæ. Id enim, nempe quod talia simoniacè accepta communi monasterii usui, tamquam piæ causa remanere, & applicari possint, expresse concessum fuit in Extravagant. Sane 1. de Simonia, ibi: Insuper erga personas illas, que in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse noscuntur, volentes nos reddere gratiosos omnia recepta hujusmodi, si ad communem usum monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri: Si vero ad speciale usum Abbatum, vel Abbatissæ, Priorum, aut Priorissæ, aut alterius singularis personæ retineatur, illa venire præcipimus in communi. Unde nullam esse obligationem ante Judicis sententiam restituendi simoniacè accepta in ingressu Religionis, sed posse retineri, & applicari, ut supra, expresse tenent Pirhing, loc. cit. num. 183. Reiffenstuel loc. cit. num. 298. Palao de simonia punct. 26. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 30. & alii.

Simoniacè accepta pro collatione Ordinis, & administratione aliorum Sacramentorum, & Sacramentalium, restitui debent de Jure divino, & consequenter ante omnem Judicis sententiam. Communis. Et ratio est clara, quia cum talia, & similia spiritualia ex mandato Domini Dei Matthæi 10. gratis conferri & administrari debeant, si quod temporale pro eorum collatione, seu administratione exigitur, fit gravis injuria Domino Deo, & illis, à quibus exigitur, sicut peccatur contra Justitiam, & insurgit obligatio id restituendi de Jure Divino.

Et talis obligatio restituendi simoniacè accepta oritur etiam ex Simonia mentali: Licet enim ex ipsa nulla incurrat Jura pœna per dicta, & jura adducta supra num. 2. oritur tamen onus restituendi temporalia Simoniacè accepta, quod onus non est pœna Juris, sed obligatio ex Justitia, & Jure divino procedens ob injuriam illatam tertio; quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, propter quæ talia mentales Simoniaci apud districtum Judicem (qui Scrutator est cordium, & cognitor Secretorum) culpabiles judicantur, ut expresse cavetur in cap. Tua nos 34. de Simonia. (Ad rem leges 11. 12. 13. & 14. tit. 17. p. 1.)

Alia ad rem. Vide verb. Electio, Juspatronatus, Præsentatio, Resignatio.

Regulariter pœnæ contra simoniacos haud incurrantur propter solam simoniam conventionalem, ut recte notavit Auctor num. 3. & communiter tradunt Antonell. de regim. Eccles. lib. 6. cap. 18. num. 13. Loter. de re benef. lib. 3. quest. 19. num. 150. & sequent. Navar. in Summ. Bullar. Comment. 117. n. 19. Panimoll. decis. 91. annot. 1. num. 35. Rot. recentior. decis. 141. num. 16. part. 16. & cum aliis in Marianen. benefic. 28. Januarii 1746. §. 8. coram clare memoria Millin.

At in aliquibus casibus ex sola conventionali simonia incurritur pœna nullitatis. Sic permutatio simoniacæ, quamvis nihil adhuc datum, vel factum sit, irrita est, caretque suo effectu: Rot. coram Crispo decis. n. 10. 2. cor. Falconer. decis. 5. num. 1. de Benef.

Idem dicendum de resignatione simoniacæ labe infecta, ut respondit Rot. in Paderbon. beneficii 10. Martii 1747. §. 2. coram Reverend. Molino, ibi: "Dubitanti namque non potest, quin detestabile scelus simoniacæ prævitatis inducat omnino nullitatem resignationis, & privavitatem privationem &c. Quod procedit nedum in reali, verum in simonia etiam conventionali, etsi effectu conventum careret," & in confirmatoria 3. Junii 1747. §. 2. cor. eod.

FERRAR. BIBLIOT. TOM. VII.

Et quod hic silentio prætereundum haud est, mox 46 allegata decisiones in Paderbon. beneficii magistrales sunt circa probationem simoniacæ, & fere singulares, nam ut plurimum simonia excludi solet ex defectu idonearum probationum.

Num etiam in electionibus ex sola simonia conventionali incurrat pœna nullitatis electionis? Vide apud Mayr. in Decret. lib. 5. tit. 3. num. 138.

De peculiaribus pœnis, quas incurrit simoniaci 48 pro varietate actuum, in quibus simonia committitur, vide eundem Mayr. in Decret. dist. lib. 5. dist. tit. 3. à num. 133. ad plur. sequent.

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt causas, & titulos excusantes à Simonia, vel pœnis, ac restitutione Simoniacè acceptorum. Et quoad ea, quæ concernunt dispensationem in pœnis simonia, & absolutionem à Censuris ob eam incurris, & Judicem, & testes quoad eam.

SUMMARIUM.

- Causæ, & tituli excusantes à simonia recensentur.
- Ab incurso simonia excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in Jure spirituali jam plene quarto, & quod habet in re.
- Item ab incurso simonia excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in Jure spirituali nondum quarto, sed adduc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest, ad tale spirituale obtinendum.
- Non excusat tamen ab incurso simonia dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa oriatur ab eo, qui de Jure prodesse potest ad tale spirituale obtinendum.
- Item non excusat ab incurso simonia dare alicui, sive de Jure ad beneficium prodesse volenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito.
- Ab incurso simonia excusat dare, & exigere temporale propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, & per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum.
- Qualis sit, & dicatur labor extrinsecus, & intrinsecus.
- Ab incurso simonia excusat etiam ignorantia vere invincibilis.
- Causæ omnes, & tituli excusantes à simonia culpa, excusant etiam ab ejus pœnis.
- Ignorantia tamen invincibilis pœnarum, censuris exceptis, non excusat ab eis ipso simoniacos.
- Ei de facto transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorarant.
- Ignorantia vero censurarum excusat ab eis incurrentibus, quomodo contra legem agendo quis gravissime peccat.
- Temporalia simoniacè accepta restituenda sunt, licet quis ea accipiendo ignoraverit se peccare.
- Præscriptio tamen legitima excusat à dicta restitutione simoniacè acceptorum; dummodo tamen habeat omnes conditiones ad ipsam necessarias.
- Ab excommunicatione incurso ab simonia commissam in ingressu Religionis, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest.
- Possunt tamen absolvere ab ipsa, si sit occulta, Episcopi, & Regulares privilegii.
- Solus autem Summus Pontifex absolvere potest à censuris, aliisque pœnis incurris ab commissam simoniam in susceptione, & collatione Ordinum, etiamsi simonia sit occulta.
- Si beneficium simplex simoniacè fuit obtentum, Be-

- 20. Beneficiario ignorante, potest Episcopus dispensare, quod illud retinere, seu de novo acquirere possit, dummodo illud prius libere resignet.
- 21. Idem potest Episcopus, si est Prælatiura, aut Dignitas, seu beneficium curatum, dummodo electio, seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem si per sententiam sit reprobata, seu cassata.
- 22. In casu autem, quo talis simoniaca electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest Episcopus dispensare, ut talis beneficium illa vice retinere, aut de novo acquirere possit, sed debet tale prius alteri conferre, & postea si iterum vacare contigerit, poterit rursus ei conferre.
- 23. Penam inhabilitatis ad beneficium quodcumque Episcopus dispensando tollere non potest, quando simonia commissa est ab ipso Beneficiario, vel ab alio ipso sciente, & consentiente, etsi simonia sit occulta.
- 24. Et id procedit nedum in foro externo, sed etiam interno.
- 25. Quando simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet à Dataria.
- 26. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in Sacra Penitentia.
- 27. In casibus simoniae solum Juxta ecclesiasticum procedit, etsi simonia sit occulta.
- 28. Ad accusandos simoniacos quovis testis etiam criminorum admittitur.
- 29. Subnectuntur Supplementa Auctoris, ad n. 33.

CAUSÆ, & tituli excusante à simonia sunt potissimum sequentes. I. Si temporale pro spirituali, aut è contra detur omnino gratis sine ullo explicito, & implicito pacto: Patet ex dictis *art. 1. d. num. 29. ad 30. II.* Si post acceptum spirituale detur temporale, aut è contra ex mera gratitudine ad satisfaciendum obligationi Antidotali: Patet ex dictis *cit. arg. 1. num. 34. III.* Si temporale detur, ne eligatur indignus, aut minus dignus: Patet ex dictis *art. 2. num. 17. IV.* Si Ministris Ecclesie detur temporalia non per modum pretii, sed solum per modum stipendii ad eorum honestam sustentationem pro administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, pro missis, & aliis functionibus spiritualibus: Patet ex dictis *art. 2. num. 26. & 33. V.* Si spirituale conferatur propter preces amatas, sive gravem metum incussum sine tamen ullo pacto: Patet ex dictis *art. 1. num. 40. VI.* Si temporale detur ad redimendam vexationem injustam: Patet ex dicendis *infra n. 2. & 3. VII.* Si temporale detur propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, & solum per accidens conjunctum: Patet ex dicendis *infra num. 6. VIII.* Si interveniat ignorantia vera invincibilis: Patet ex dicendis *infra num. 8. (Vid. leg. 15. & 16. tit. 17. part. 1. cum 3.)*

Ab incurso simoniae excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in Jure spirituali jam plene quæsito, & quod habet in re. *Communis, arg. cap. Quæsitum 4. caus. 3. quest. 3. & cap. Dilectus 28. de Simonia; (Vid. præced. leg. 3. Ad rem leg. 23. tit. 20. part. 1. 22. tit. 1. part. 7.)* Ubi simonia non arguuntur, qui ad redimendam injustam vexationem, quam patiebantur in Jure jam quæsito, temporalia dederunt. Hinc Sanctus Gregorius Magnus (ut ex Baronio refert Bagnanus in *lib. 6. esp. Nobis, de Simonia num. 105.*) pecuniam dedit Imperatori Mauritio pro confirmatione sui Pontificatus sine labe simoniae, quia cum jam haberet Jus quæsitus, seu in re, ad Pontificatum per legitimam electionem, dictam pecuniam non dedit pro Jure aliquo spirituali, seu pro Pontificatu emendo, utpote quem jam plene Jure quæsitus habebat, sed pro tollenda injusta, & violenta vexatione, qua à justo exercitio sui legitimi Pontificatus tyrannice impediatur, quod est quid temporale.

Item ab incurso simoniae excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in Jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest ad tale spirituale, *verb. grat.*

beneficium, seu officium ecclesiasticum obtinendum. *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu non dat quis temporale pro acquirendo spirituali, cum conclusio supponat tale injuste vexationem nihil penitus prodesse posse ad tale spirituale acquirendum, sed dat solum, & præcisè, ut injustus vexans impedimento non ponat per suas iniquas machinationes, infamando *verb. gr.* & denigrando ipsum apud eligentem, presententem, conferentem, & confirmantem, seu aliàs injuste agendo contra ipsum, ne eligatur, presentetur, instituitur, confirmetur, vel aliàs à beneficio acquirendo injuste, & violenter impediatur, uti injuste ipsum detinendo, aut quocumque modo impediendo, ne se conferat ad concursum, ad Electorem, Presentatorem, Collatorem, & hujusmodi; quæ omnia sunt quid mere temporale, & nihil positive influunt in beneficii, seu officii ecclesiastici collationem, & acquisitionem.

Non excusat tamen ab incurso simoniae dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad spirituale, *verb. grat.* beneficium seu officium ecclesiasticum obtinendum; *Communis. (Vid. prædictum leg. 3.)* Et ratio est, quia in tali casu temporale datum, vel promissum alicui, ne in electione *verb. grat.* presentatione, & hujusmodi injuste denegat votum suum, vel aliàs injuste denegat debitam institutionem, confirmationem, collationem, & hujusmodi, positive influit in collationem, & acquisitionem spirituales, cum non aliter tollatur, seu redimatur dicta injusta negatio voti, institutionis, confirmationis, collationis &c. nisi per actualem dationem temporalis: Unde tunc datum temporale habet rationem pretii. Sic autem dare temporale, ut detur spirituale, est verissima simonia. Habetur expresse in *cap. Matthæus 23. de Simonia*, juncto ejus Summario sic præcisè dicente: *Si contradicens electio pro pecunia de voluntate electi tradita à contradictione cessat, electus postea confirmatus, est simoniacus, & beneficio renuntiare tenetur.* Et concordat *cap. Sicut tuis 33. eodem*, ubi tam Episcopus injuste negans confirmationem Canonico electo, quàm illi, qui ad tollendam injustam Episcopi vexationem pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur.

Item non excusat ab incurso simoniae dare alicui, sive de Jure ad beneficium prodesse volenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incipita desinat in beneficio sine acquirendo, sive acquisito. *Communis, arg. cap. Cum pridem 4. de Pactis, c. Matthæus 23. & cap. Sicut tuis 33. de Simonia:* Et ratio est clara, quia quando quis in beneficio acquirendo, seu acquisito juste impugnetur, seu juste impugnari potest, vel nullum Jus habet, vel saltem non firmum ad dictum beneficium, adeoque si mediante pecunia, vel temporali, justam impugnationem, seu vexationem tollit, sibi parat viam ad spirituale per temporale, & medio temporali Jus ipsum spirituale, vel saltem ejus firmitatem sibi comparat, quod vere est simoniacum; unde vera est simonia dare pecuniam, aut aliud temporale alicui, ne electionem, presentationem, collationem, seu possessionem beneficii jure, & de Jure impugnet, aut à justa impugnatione desistat, & hujusmodi.

Ab incurso simoniae excusat dare, & exigere temporale propter laborem functioni, aut ministerio spirituali extrinsecum, & per accidens conjunctum, secus autem propter laborem intrinsecum. *Communis. (Leg. 3. & 15. tit. 7. part. 1.)* Et ratio est clara, quia labor extrinsecus est distinctus ab ipsa actione sacra, & functione spirituali, licet per accidens sit ei conjunctus, adeoque retinet suum valorem, quem ex se tamquam quid temporale distinctum ab ipsa actione sacra habet, sicutque propter ipsum absque incurso simoniae potest dari, & exigi temporale, cum non sit simonia dari, & exigi temporale pro temporali. E contra tamen, quia labor intrinsecus non distinguitur ab ipsa actione sacra, & functione spirituali, sed cum ipsa unum opus efficiat, totusque est sacer, dari, &

exigi temporale pro ipso erit simonia, per textum in *cap. Si quis obsecrati 7. caus. 1. quest. 3. ibi: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit.*

Ille autem labor est, & dicitur extrinsecus functioni sacrae, seu ministerio spirituali, & ei per accidens conjunctus, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale, adhuc in se bene fieri potest. Sic *verb. grat.* labor extrinsecus, & per accidens conjunctus celebrationi missæ, est itineratio per unam, vel alteram horam ad locum distantem: unde cum talis itineratio ad celebrandam missam in dicto loco distanti sit quid temporale, non est simonia pro ipsa dare, & exigere temporale. Labor intrinsecus è contra est, & dicitur ille, sine quo functio sacra, seu ministerium spirituale fieri nequit: Sic *verb. grat.* pronuntiatio verborum, motus membrorum, & hujusmodi est labor missæ intrinsecus, eo quod sine isto, & simili labore missa celebrari nequeat: Sic *Doctores Communiter.* Unde cum talis pronuntiatio verborum, & motus corporis, utpote labor intrinsecus, & necessarius pro celebratione missæ, & consequenter ab ipsa indistinctus, sit unum sacrum cum ipsa efficiens, ideo pro ipso solo nequit aliquid temporale pro pretio dari, & exigi sine labe simoniae, cum sic esset vendere & emere spirituale pro temporali.

Ab incurso simoniae excusat etiam ignorantia vere invincibilis. (Repete *dict. leg. 3. & 17. ejusd.*) *Communis.* Et ratio est clarissima, quia ad peccatum requiritur consensus, ignorantis autem nullus est consensus, *leg. Si per errorem 15. ff. de Jurisdic. omnium Judicum, leg. Non idcirco 9. Cod. de Jur. & fact. ignorantia:* Unde si ignorantia invincibilis per Communissimum Doctorem excusat ab omni peccato, excusabit infallibiliter etiam à culpa simoniae: (*Verb. Ignorantia; Lit. C. pag. 32. num. 16. verb. Emptio art. 3. num. 18.*)

Causæ omnes, & tituli excusantes à simoniae culpa, excusant etiam ab ejus poenis. *Communis.* Ubi enim nulla est culpa, ibi nulla debet esse poena, *arg. leg. Si putatur 31. ff. Ad Legem Aquilianam, leg. Sancimus 22. Cod. de penis, cap. Cognoscentes 2. de Constitutionibus;* ibi: *Rem, que culpa caret, in damnum vocari non continet, cap. sine culpa 23. de Regal. Juris in 6. ibi: Sine culpa, nisi subitis causa, non est aliquis puniendus. (Verb. Monitorium num. 52. Lit. C. pag. 66. num. 19.)*

Ignorantia tamen invincibilis poenarum contra culpam simoniae ab ecclesia statuatam ab eis non excusat, censuris exceptis, ipsos simoniacos, *Communis.* Ignorantia enim solum poenam non tollit causam poenæ, id est, culpam, adeoque nec efficitur, seu ipsam poenam. Et ut facti delinquentes contra alias leges sub certa poena aliqui prohibentes eadem poena justissime plectuntur, quamvis ignorent ipsam poenam, sub qua lex talia delicta prohibet: Nec indiget hoc ulteriori probatione, cum quotidiana id demonstrat experientia, & praxis omnium tribunalium ecclesiasticorum, & laicalium, qua constat, delinquentes, & legum transgressores variis affici poenis, combustionis, patibuli, decollationis, & hujusmodi, quamvis invincibiliter ignoraverint, delicta à se committenda, & commissa poenis hujusmodi subjacere. (*Verb. Lex.*)

Notanter autem dicitur *censuris exceptis*, quia ignorantia censurae excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet: *Communis; textu expresso in cap. Ut animarum periculis 2. de Constitutionibus in 6. ibi: Ut animarum periculis obviatur, sententiis per status quorumcumque Ordinarium prolatis ligari volumus ignoranter, dummodo eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Et ratio manifestata est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, *cap. Quia Itonie 15. de appellationibus;* ibi: *Sane si quis pro contumacia... Interdictio, vel excommunicatione tenetur adstrictus, cum similibus:* Contumacia autem non adest, ubi ignorantia censura habetur, cum ignorantia excuset à contemptu, & con-

tumacia, *leg. Si ignorans 50. ff. Locati. (Vid. leg. 20. tit. 9. part. 1. cum glos. D. Greg. Lop. ibi: Non siendo delante: Lit. C. pag. 132. col. 1.)*

Quamvis temporalia simoniae accepta restituenda sint, licet quis eas accipiendo ignoraverit se peccare, cum obligatio talis restitutionis oriatur, non tam à Jure humano, seu ecclesiastico, quàm à Jure divino, seu naturali, ex dictis *art. 3. num. 32. ad 35. & consequenter*, qui ea simoniae accepit, restituere teneatur statim, ac rescit illa tamquam aliena restitutioni esse obnoxia, etiamsi prius ipsa accipiendo id ignoraverit, ut tradunt communiter Doctores: Tamen præscriptio legitima excusat à dicta restitutione simoniae acceptorum, dummodo tamen ad ipsam præscriptionem vere concurrant omnes conditiones ad ipsam necessariæ, de quibus abunde sub *verbo Præscriptio per 101. Vide ibi*, ubi plurima ad rem.

Ab excommunicatione incurso ob commissam simoniam in ingressu Religionis, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. *Communis.* Papa enim sibi illam specialiter reservavit in *Extravaganti. Sane 1. & Cum detestabile 2. de simonia.*

Ex privilegio tamen, quo Regulares Mendicantes absolvere possunt à casibus Papa reservatis, possunt etiam absolvere ab ista excommunicatione, dummodo non sit publica, & ad forum contentiosum deducta. Ita Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 01. num. 4. Castropal. de simonia punct. ult. num. 2. Reiffenstuel lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 334. & alii.* Sicut & posse Episcopos absolvere à simonia occulta declaravit Sac. Congregat. apud Castropal. *de simonia punct. ult. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 340. in fine.*

Solus autem Summus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, aliisque poenis incursis ob commissam simoniam in suspensione, & collatione ordinum, etiamsi simonia sit occulta: Sic enim sibi expresse reservavit Sixtus V. *constit. 91. incip. Sanctum & salutare:* cum expressa derogatione omnium privilegiorum, ac etiam Concilii Tridentini *ress. 24. de reform. cap. 6. Vi cujus Episcopi aliis possunt in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus à delicto occulto provenientibus, excepta ea, que oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deducitis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis etiam Sedis Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in diocesi sua per seipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputatum, in foro conscientie gratis absolvere.* Sunt verba præcisæ Concilii. Nec quoad hoc dicta constitutio Sixti V. est moderata, aut revocata à Clemente VIII. *const. 41. incip. Romanum Pontificem:* ut patet ex dictis *supra art. 3. num. 11.* Quamvis tamen circa id non esse dictam Sixti V. Bullam ubique usu receptam putet Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 134.* apud Reiffenstuel *loc. cit. num. 335. Lex 20. tit. 17. part. 1.* exprimit toties dispensare Episcopum valere, quoties non prohibetur.)

Si beneficium simplex simoniae fuit obtentum ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest Episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de novo acquiret, & retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. *Communis; textu expresso in cap. Si alicuius 59. de electione:* ibi: *Quamvis circa eum, qui ignorantiter recipit simplex beneficium per simoniacam praviam post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur.*

Idem potest Episcopus, si est Prælatiura, aut Dignitas, seu Beneficium Curatum, dummodo electio, seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata, non sit; secus autem, si per sententiam reprobata, seu cassata, *cit. cap. Si alicuius, ibi: Si alicuius electionem propter simoniam eo ignorante, ac ratum non habente, commissam contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam saltem fuerit electus, illa vice non potest Episcopus dispensare, juncto Summario ib. sic expresse sonante: Cassata electione propter simoniam etiam sine culpa Electi, non dispensat Episcopus ea vice cum cas-*

- rato: Secus, si Electus libere resignavit, Reiffenstuel loc. cit. num. 337. & alii. In casu autem, quo talis simoniaca electio, seu collatio reprobata, seu cassata fuerit per sententiam, non potest Episcopus dispensare, ut talis beneficium illa vice retinere, vel de novo acquirere possit; sed debet tale prius alteri conferri, & postea si iterum vacare contingerit, poterit rursus conferre tali simoniam ab alio commissam invincibiliter ignoranti, quia tunc dicta simonia purgabitur per intermedium personam, ut notat Glossa communiter recepta in cit. cap. Si alicujus, verb. Illa vice, per textum in cap. Ex transmissa 7. de Filiis Presbyteror. ibi: Quo defuncto media intercessit persona, cui praedictum beneficium est collatum. Et tenent Pithing. loc. cit. num. 173. Reiffenstuel loc. cit. num. 137. & alii communiter, argument. cit. cap. Si alicujus 59. de electione. (Leg. 11. tit. 17. part. 1. cum 18. & 19.)
- 21 Penam inhabilitatis ad beneficium quodcumque Episcopus dispensando tollere non potest, quando simonia commissae est ab ipso Beneficiario, vel ab alio, ipso sciente, & consentiente, etiamsi simonia sit occulta; tunc enim talis simoniacus redditur perpetuo inhabilis non solum ad beneficium simoniace obtentum iterum obtinendum, sed etiam ad quaecumque alia beneficia per Jura, & constitut. Pontific. cit. supra art. 3. num. 15. & 16. Super quibus Episcopus dispensare nequit; cap. Interior 4. dist. 21. cap. Nulli fas sit 25. q. 1. cap. Institutionis 25. quest. 2. cap. Quod super his 9. & cap. Cum inferior. 16. de Majorit. & Obedient. Clement. Ne Romani §. 1. de election. ibi: Lex Superioris per inferiorem tolli non potest. (Lit. C. pag. 93. n. 9.)
- 22 Et id procedit, nedum in foro externo, ut tenent Doctores communiter, sed etiam in foro interno, ut expresse declaravit Sacra Congreg. apud Castropal. de Simonia p. ult. num. 3. & Reiffenstuel loc. cit. n. 340. his verbis: Episcopus, etsi a simonia occulta absolute vere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia imposterum obtinenda, neque ad ea restituenda, quae per simoniam occultam retinet. Et sic tenent Pithing. loc. cit. num. 173. Suarez lib. 4. de Simonia cap. 61. num. 10. & 11. & communissima aliorum, teste Reiffenstuel loc. cit. num. 140. dicente, jam in praxi tutam minime esse contrariam sententiam Henriquez, & paucorum aliorum putantium probabile esse, quod Episcopus pro foro interno dispensare possit, si simonia sit occulta.
- 23 Quando simonia est publica, dispensatio pro foro externo obtineri debet a Dataria. Pir. Corrad. in prax. dispensat. lib. 5. cap. 9. num. 13. & 14. Reiffenstuel loc. cit. num. 343. & alii passim. Quando autem est occulta, procuratur pro foro interno in Sacra Penitentia, Reiffenstuel loc. cit. num. 344.
- 25 In causis simoniace solus Judex ecclesiasticus cognoscere, & definitive pronuntiare potest, etiamsi Reus sit laicus. Jul. Clar. lib. 5. §. Simonia num. 7. Pithing. loc. cit. num. 142. Reiffenstuel loc. cit. num. 348. Abbas in cap. Cum sit 8. de foro competent. & ibi Glossa verb. Malefactores, & alii communiter: Simonia enim, cum versetur circa objecta spiritualia, est causa spiritualis; causatum autem spiritualium cognitio, & sententiae pronuntiatio pertinet ad solos Judices ecclesiasticos, privative quoad Laicos, textu expresso in cap. Decernimus 2. de iudicis, ibi: Decernimus, ut Laici ecclesiastica tractare negotia non presumant. Et concordat cap. Lator 5. cap. Causam qua 7. Qui filii legitimi, cap. Contingit 8. de Arbitris, cum similibus. (Fere convenit lex 11. & 21. tit. 17. part. 1.)
- 26 Ad accusandos simoniacos quisvis testis etiam criminosis admittitur, textu expresso in cap. Tanta 7. de Simonia, ibi: Tanta est labes hujus criminis, quod etiam servi adversus dominos, & quilibet criminosis admittuntur ad accusationem. & concordat cap. Heli 31. & cap. Per tuas 32. eod. (Ad rem lex 48. tit. 5. part. 1. verb. Testis)
- 27 In simonia reali scienter contracta pro beneficio acquirendo, Penitentia non revalidat titulum ejusdem beneficii etiam in casibus occultis, & in foro

conscientiae, (in quo tamen dispensat ad exercitium Ordinum) nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissae, & Orator quamprimum id rescivit, dispensationem petierit, quod valet & in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Benedictus XIV. tom. 1. const. 99. incip. Pastor bonus §. 22.

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in ecclesiam ipsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. Ibid. §. 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiae, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. Instit. eccles. 12. §. 11.

Si quis postulat a S. Congregatione absolutionem a simonia commissae in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum ut dimittat, moneat, & restituat, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti ecclesiae, vel pauperibus, restituat fructus perceptos, ibid. §. 12.

Si vero simonia commissae est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo ante possessionem, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. Ibid. §. 12.

Simonia reali scienter contracta, Penitentia non revalidat titulos beneficiorum, aut reservationes pensionum. Benedict. XIV. tom. 2. const. 65. incip. Pastor bonus §. 22. Dispensat tamen in foro conscientiae ad exercitium Ordinum: Idem ibid. §. 19.

Summus Pontifex tamen ea, quae pollet amplissima potestate dispensare valet super penis simoniae in foro tum interno, tum externo; rarissime tamen hac potestate uti solet, teste Corrado in prax. dispens. lib. 1. cap. 9. num. 13.

Quinimo numquam simoniace proviso concessit retentionem beneficii, super quo simonia commissae est, si eo sciente commissae sit: Idem Auctor ubi supra.

Ceterum si ignorante proviso simonia sit commissae, nec ei concedit retentionem illius beneficii, sed ipsum noviter ei confert.

Porro ubi simonia sit publica, recursus haberi debet ad Datariam Apostolicam, ibique proponenda est supplicatio pro utroque foro, & exprimi debent fructus ex beneficio simoniace acquisito percepti, quum debeantur tunc Camera Apostolica, licet nonnumquam pro ipsis fieri soleat transactio. A proviso autem cum ignorantia simoniae sufficit eos exprimi fructus, qui percepti sunt post habitam notitiam simoniae, quum priores lucrerent.

At si simonia sit occulta, recursus habetur ad Sacram Penitentiam cum supplicatione dispensationis pro foro interno tantum. (Lex ult. tit. 17. p. 1. de mediatoribus tract. v. Testis.)

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Societas quid sit.
- 2 Ad societatem questuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones, quae assignantur.
- 3 Contractus vulgo dictus trium Contractuum secundum multos est illicitus, & usurarius.
- 4 Secundum tamen communem, & probabilior sententiam est licitus, & minime Usurarius.
- 5 Ut iustitia dicti Contractus trium Contractuum melius intelligatur, figuratur hic casus.
- 6 Assignatur regula pro determinanda quantitate annui lucri ex hoc contractu societatis licite exigendi.
- 7 Adducitur fundamentum hujus sententiae deducum ex Jure.
- 8 Adducitur etiam ratio.
- 9 Afferitur, & solvitur instantia.

SOCIETAS, SEU SOCIETATIS CONTRACTUS.

- 10 Afferitur, & solvitur alia instantia.
- 11 Hactenus dicta procedunt etiam de societate animalium adjecto pacto assecurationis.
- 12 In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum, dampnum censetur commune.
- 13 Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad dictum dampnum.
- 14 Ex dictis inferitur primo, quod si res tradita in societatem fuerit furto sublata defectu debite custodia, reneatur ille, cui data fuerit, illam compensare, nec dampnum sit commune utrique.
- 15 Inferitur secundo, quod non solum tenetur socius ex dolo, culpa lata & levi, in ordine ad dampnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans, & dampnum emergens.
- 16 Inferitur tertio, quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis tenentur etiam heredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam.
- 17 Expensa, quae sunt causa necessitatis, debent esse communes, & solvenda sunt ex communi pecunia societatis.
- 18 Hinc si ex necessitate societatis quis ex sociis proficiat in alia Regione, & sumptus majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari.
- 19 An autem deducenda sint expensae illae, quas dicitur socius domi fecisset, si alio profectus non fuisset, Variam Doctores, quidam enim affirmant, & alii negant.
- 20 Conveniunt tamen, quod non essent solvenda ex bonis societatis expensae illae, quae inutiliter, & irrationaliter fierent in convivio, aliisque rebus non necessariis.
- 21 Si socius aliquis absque sua culpa etiam levi ex causa societatis dampnum aliquod incurrit, est ei compensandum ex pecunia Societatis.
- 22 Secus esset dicendum, si talis socius ex culpa in tali dampnum incidisset.
- 23 Socius etiam damna propria, quae socius non ex causa societatis incurrit, debent ipsi soli, & non societati imputari.
- 24 Societas finitur, seu dissolvitur quatuor praecipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione.
- 25 Ex personis dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quavis societas cum pluribus contracta fuerit, & plures supersint.
- 26 Item per mortem civilem.
- 27 Item per maximam, & mediam capituli diminutionem, & non per minimam.
- 28 Quid & quomplex sit capituli diminutio, qualisque sit maxima, media, & minima.
- 29 Ex rebus dissolvitur societas, quando sortis capitalis perit in totum, vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum.
- 30 Item societas dissolvitur publicatione bonorum.
- 31 Item societas dissolvitur per cessionem bonorum.
- 32 Ex voluntate dissolvitur societas per renuntiationem.
- 33 Item finit negotiatio.
- 34 Ex actione dissolvitur societas iudicis iudicio, & Auctoritate.
- 35 Item per stipulationem.
- 36 Item quando socii non inscii separatim agere incipiunt, & unusquisque eorum sibi negotiatur.
- 37 Item quando ipsa actio perit.
- 38 Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est, actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto.
- 39 Item perit actio per sententiam iudicis, & per novationem, & delegationem.
- 40 Finita, seu dissoluta societate divisio bonorum, seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad aequalitatem iuxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem.
- 41 Finita, seu dissoluta societate, attenda natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, & alter suam meram industriam, seu operam non

majoris valoris dictae pecuniae, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, & solum lucrum dividendum.

- 42 Si finita, & dissoluta societate, nullum sit lucrum dividendum, adhuc totum capitale est restituendum ei, qui illud contulit, & si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit.
- 43 Finita, & dissoluta societate, si super ipsa nihil expresse determinat Jux, & nulla inter contrahentes praecesserit iuxta pactio, divisio est faciendi iuxta probatam consuetudinem loci.
- 44 Subnectuntur Supplementa Auctoris.
- 45 Novae Addit. ad fin.

SOCIETAS est contractus duorum, vel plurium aliquid pretio aestimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam, & hujusmodi) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum. Est in re Communis, & desumitur ex leg. Societatem 4. leg. Societates 5. leg. Si Societatem 6. ff. Pro socio, & Instit. tit. 26. de Societate. (Proemium & lex 1. tit. 10. part. 5.)

Ad Societatem questuosam, ut sit licita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut societas fundetur in negotiatione licita, & honesta. Unde iniqua, & invalida est societas, quae instituitur, & inquit ad illicitum, & inhonestum commercium, ut ad meretricium, lenocinium, usuram, furtum, fraudem, & quaecumque malum dolum, leg. Ea vero 3. §. 3. & leg. Nec praetermittendum 17. ff. Pro socio. (L. 2. tit. 10. part. 5.) Secunda, ut quilibet socius aliquid pretio aestimabile conferat in communem societatem, sive dein conferat pecuniam, aut mercem, sive operam, vel industriam suam. Plerumque enim pauperiores supplent sua opera, & industria, quod alii praestant suis pecuniis, & mercibus, leg. Societates 5. & leg. Si societatem 6. ff. Pro socio. Tertia, ut servetur aequalitas inter socios, tam quoad damna, quam quoad lucra, ita ut alius pro alio non ledatur, & lucrum, jactura, impendia, & detrimenta communicentur inter omnes socios, pro rata cujusque sortis, nisi aliter conventum sit, leg. Si societatem 6. & leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio, & §. 1. & 2. Instit. de societate. Quarta, ut capitale collatum in communem societatem subiaceat periculo conferentis, ita ut si pereat absque culpa socii, pereat illi, qui illud in societatem communem contulit, cum talis conferens sit solus dominus dicti capitalis, & quilibet res domino suo perdat, nisi tamen aliter conventum sit per pactum assecurationis per infra dicenda de contractu vulgariter dicto trium contractuum; argument. cap. Contractus 83. de Regul. Juris in 6. ibi: Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. & §. 2. Instit. de societate, & leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio, & leg. Depositum 1. §. 6. ff. Depositi. (Lex 1. ff. Vide in omni specie contractus.)

Contractus vulgo dictus trium contractuum, scilicet Societatis, assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro certo, secundum multos est illicitus, & usurarius, si celebretur cum eadem persona, sive simul, sive concessive. Sic Sotus lib. 6. de Just. q. 6. art. 6. Felicius de societate. cap. 19. num. 27. Arragonius 2. 2. quest. 78. art. 2. Bannes 2. 2. quest. 78. art. 4. de societate. dub. 1. Rebellus lib. 15. quest. 4. Azorius Instit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 4. quest. 5. vers. Ex his solvitur altera difficultas: qui pro se citat Sanctum Thomam 2. 2. quest. 78. art. 2. ad quintum, Sanctum Bernardinum Sen. part. 2. serm. 39. art. 1. cap. 1. vers. Primum casus: Sanctum Antonium part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 7. Glossam in cap. Plerique 14. quest. 3. Abbatem in cap. Per vestras, de donationibus inter Virum, & Uxorem, Rodolphum in cap. Consuluit, de usuris part. 2. quest. 19. Accusium in leg. Si non fuerit 29. ff. Pro socio. Baldum in leg. 1. C. Pro socio, innumerosque, tum canonici, tum civilis Juris Interpretes; Et sic tenet etiam Henno rom. 2. tract. 2. disp. 9. quest. 5. concl. unica. Et novissime cum pluribus aliis Pontas verb. Societas cas. 30. per